

- 22 Supradicta tamen intellige de Notario, qui corrigat Instrumentum suum, id est à se scriptum, secus in Notario extraneo, qui nihil potest addere, aut minuere, sed solum trasumptare, quod est in Matrìce, Bartol. in sepè citata l. Si librarius col. 1. ff. de reg. Jur., Gratian. discep. for. c. 201. n. 81.
- 23 Et tamen Notarius poterit addere omiſſa, & corrigere errorem ex decreto Judicis, quando ex legitimis probationibus constiterit de errore, Gratian. decis. Marchie 163. per totum, & discep. for. c. 889. nu. 9.
- 24 Data igitur aliqua omiſſione ex negligentia, potius præsumitur in Notario error, aut ignorantia, vel inadvertentia, quam dolus, saltem ad effectum incurrendi pœnas, Bartol. in l. Quoties §. Sed si notam ff. de hered. inst., & in l. si librarius ff. de reg. jur. Alciat. de præsump. reg. 3. nu. 10., & sic potius præsumitur error, quam falsitas, ex latè traditis per Farinac. d. q. 156. nu. 138., & seqq., ubi nu. 154., quod mala qualitas personæ ipsius Notarii non modicam præbere falsitatis, & doli suspensionem.
- 25 Et licet post plures allegatos, Farinac. q. 157. nu. 1., & seqq. dixerit, quod Notarius omittens in testamento, aut Instrumento debitas, & solitas clausulas, puniatur de falso, & præsumatur dolus, quia sicut tenetur scire ea, quæ spectant ad suum officium, & artem, ita, & præsumitur scire, qua propter omittendo debitas, & solitas solemnitates præsumitur potius dolo, & malitiâ omiſſisse, quam per ignorantiam, & errorem, tamen idem Farinac. num. 17. limitat regulam, ut habeat quidem locum in Notario malæ qualitatis, & famæ, aut in Notario alioquin perito, & sagaci, at secus in Notario bonæ qualitatis, & famæ non sic perito, nec sagaci, & tunc verissimile est Judicis arbitrio, quod omiserit eas solemnitates, non ex dolo, sed per errorem, Foler. præct. crim. in V. Item commisit falsitatem nu. 61., Mascard. de prob. lib. 2. concl. 1094. nu. 21.
- 26 Et eo casu, quo punitur pœna falsi propter dolum præsumptum in omittendo, ut dictum est, non venit puniendus pœna ordinaria falsi, sed extraordinaria, quia dolus non est verus, sed præsumptus, & mitius punitur dolus in omittendo, quam in committendo, Menoch. de arbitr. lib. 2. c. 370. nu. 5., quem refert, & sequitur,

- Mascard. de prob. d. concl. 1094. num. 35., quam limitationem dicit verissimam, Farinac. d. q. 157. num. 18.
- 27 Negligentia Notarii in custodia protocolli est valde damnabilis, tenetur enim Notarius diligenter illud custodire, c. quoniam contra, ubi Barbosa nu. 22. 23. §. Illud, Auth. de Tabell. Sylvest. V. Tabellis q. 2. V. quarto, quod de omnibus, Farinac. q. 154. nu. 29., & seqq., Gratian. discep. for. c. 889. n. 8., aliàs negligendo custodiam, si amittat, tenetur partibus ad damna, & interesse, Tusch. præct. concl. in V. Instrumentum concl. 247. n. 7., Farinac. q. 154. nu. 35. Et insuper punitur pœna Judicis arbitraria, Menoch. de arbitr. Jud. c. 311. nu. 2., Bald. in l. fin. C. de eden., Lanfranc. in tract. de fide Instrum. nu. 22. in 4. vol. tractatum.
- Tenetur enim Notarius ad partis petitionem exhibere protocollum, Bald. in l. Imperator ff. de Stat. hom., Farinac. d. q. 154. nu. 38., ubi nu. 40., quod Notario asserenti se amisisse protocollum, non creditur, nisi probet, & ne negligentia Notarii noceat partibus, copia sufficienter probat, Felin. in c. final. in 2. falent. de fide Instrum., Rota decis. 552. nu. 9., & 11. p. 18. recent. decis. 202. num. 4. p. 19. recent.
- 28 Utrum autem, qui destinavit Notarium ad aliquod officium, teneatur ex ejusdem Notarii negligentia, ut asseruit Amedeus tract. de Syndicatu nu. 103. V. ideò videtur per tex. in l. ex facto ff. de negot. gest., & in c. 3. de off. Archid., Paris. de Syndicatu in V. Negligentia c. 4. num. 9., ait, quod ipsi Notarii, non vero Rectores eorum obligantur, at cum loquatur de Rectore, non verò de electore, qui Notarium destinavit ad officium, puto distinguendum, vel qui elegit, & destinavit Notarium, cognoverat eius imperitiam, aut negligentiam, & tunc tenetur; Si verò Notarius erat peritus, & bonæ famæ, atque communiter reputabatur diligens, tunc non tenetur, quia destinans Notarium communiter reputatum diligentem in nullo delinquit; Farinac. de delictis, & pœnis q. 24. num. 61. & seqq., Seraphin. decis. 527. nu. 1., & decis. 537. nu. 1. 2. Verum in terminis Bullæ Pii IV. Incipit in Trono justitiæ §. 21., quæ est 44. in ordine in Bullario novo tom. 2. Notarius, qui substituit alium Notarium loco sui, tenetur de facto substituti; tamquam princi.

- principaliter obligatus, & licet verba dicant, quod tenetur de facto, quoad interesse partium, tamen idem dicas de non facto, & sic de omisso, & negligentia, quo ad interesse partium, quia eadem est profusus ratio consulendi, scilicet indemnitati partium.
- 30 Alia est negligentia damnabilis in Notario, quæ utinam eliminata obiisset ex hoc sæculo, & est, si Notarius negligat, & recuset scribere, aut scripturas exhibere pauperibus gratis, nam tenetur, aut scribere, aut relevatam scripturam exhibere, aut acta tam civilia, quam criminalia gratis dare pauperi extremè indigenti arbitrio Judicis, etiam si esset aliquis Notarius salariatus à Communitate ad hunc effectum, ut impartiat officium suum pauperibus gratis, quia eo non obstante ceteri Notarii adhuc tenentur ex communi lege misericordiæ, & charitatis, tum quia etiam salariati multocius recusant impertiri officium suum pauperibus gratis, etiam contra justitiam, undè tunc supplere debent alii saltem ex misericordia, Scaccia de appellat. q. 15. num. 50. 51., ubi nu. 52. Vers. Adverte, tamen limitat ad casum necessitatis pauperis, sicut in casu elemosinæ, & potissimum quando non facta, vel non exhibita, aut relevata tali scriptura, pauper extrema necessitate præmeretur, ut fame periret, nec excusaretur, licet emerit officium ad l. providendum 7. §. 1. C. de postul. l. tam dementis 21. in fine. C. de Episc. audient., ubi Bald. post glos. Gigas de pensionibus q. 80. num. 4., ad late, & eruditè tradita per Leoncil. paup. p. 2. privil. 287. per totum, ubi num. 8., limitat, quod possit Notarius sibi reservare Jus petendi convenientem mercedem, si & quando pauper devenerit ad pinguiorem fortunam, quod replicat privil. 288. num. 2.
- 31 Ponamus, quod Notarius ex negligentia omiserit registrare testamentum, vel aliquod Instrumentum, aut quamlibet aliam scripturam, quàm tenebatur registrare, & data litis occasione inter partes interesse prætendentes in ea scriptura non registrata, si aliqua ex partibus opponat de non registro, an hæc negligentia Notarii debeat nocere partibus, & non debere nocere, resolvit Rota coram Othobon. decis. inter ejus impressas 251. num. 53., Burat decis. 780. num. 4., Seraph. decis. 1115. num. 5.
- 32 Si acta sint trasportanda ad Judicem appellationis, tenetur Notarius congrua mercede recepta appellanti ea quàm citius, & ad minus intrà Mensem exhibere, qui Notarius, si in differenda exhibitione fraudem fecerit ab officii administratione arbitrio ordinarii suspendatur, & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit inter appellantem, & appellatum, & pauperes loci distribuenda compellatur, Trid. sess. 24. de reform., ex quibus notandum est, quod si negligentia in exhibendo acta trasportanda fuerit cum fraude, tunc eam pœnam incurrit, si verò sine fraude poterit per Judicem eid. Notario assignari terminus competens infra quem exhibeat sub pœna eidem Judicis arbitraria.
- 33 Quæ transportatio intelligitur de actis, ex quibus sententia, à qua appellatum est, venit justificanda, & de actis productis parte citata, & jura omnia, quæ revera sunt de actis, undè quæ fuerunt tantum verbalitè producta, vel quæ fuerunt producta parte non citata, vel extrà terminos citationis, quia tunc non dicuntur de actis, ideò Notarius negligat ea tradere, non per hoc in aliquam pœnam veniret condemnandus ad Rotam allegatam per Barbosam ad Trid. dicta sess. 24. c. 20. de reform. sub num. 70.



De Negligentia Officialium Fisci.

SUMMARI A.

- 1 **F**isci mala causa non est, nisi sub bono Principe.
- 2 Negligentia Officialium non præjudicat Fisco in quæsitis.
- 3 Præjudicare verò potest in aquirendis.
- 4 Clerici, & Præpositi Ecclesiarum possunt per suam negligentiam, suis Ecclesijs præjudicare.
- 5 In quærendis breviori tempore præscribitur, quàm in quæsitis contra Fiscum.
- 6 Idèd contra Fiscum præscribitur in mobilibus triennio, in stabilibus decennio, vel cursu 20. annorum.
- 7 Differt valde, si bona spectent ad Fiscum in pœnam delicti, an verò alio titulo, quàm pœnæ, puta quia vacantia.
- 8 De delicto per Fiscum queri non potest post cursum 20. annorum, quod tamen patitur fallentias de quibus remissivè.
- 9 Quæ debentur Fisco in pœnam præscribuntur contra Fiscum sine titulo, & sine bona fide, quod est singulare.
- 10 Aliqui Theologi in hac præscriptione, etiàm bonam fidem inveniunt.
- 11 Sententia Alphonfi de Castro tenentis, Reum teneri ex se deferre, seu consignare bona confiscata Fisco, examinatur.
- 12 Afferuntur rationes Alphonfi de Castro.
- 13 Solvuntur eadem rationes num. 15., num. 16., 17., 18.
- 14 Clericus Beneficiatus non recitans officium non facit fructus suos, ita ut in conscientia eorum nequeat retinere.
- 19 Præscriptione completa Fiscus non restituitur in integrum.
- 20 Quæ doctrina limitatur, quo ad pœnas spirituales.
- 21 Proponitur difficultas ex tex. in c. si qui de præscript. in 6.
- 22 Solvitur difficultas.
- 23 Filii hereticorum non præscribunt bona feudalicia ex defectu bonæ fidei in pœnam, quia Patrem non denuntiarunt.
- 24 Ad præscribendum bona Fisco debita alio titulo, quàm pœnæ, puta quia vacantia, requiritur bona fides.
- 25 Fraudans Gabellam præscribit contra Fiscum, seu Gabellarium absque bona fide, quo ad bona, quæ ceciderant in commissum.
- 26 An si creditores posteriores diligentiores consequantur suum creditum, possit Fiscus revocare ab eis recepta, remissivè.
- 27 Officiales Fisci tenentur ad restitutionem eorum, quæ erant ipso Jure Fisco quæsitæ, & propter eorum negligentiam non capta seculis dicendum de bonis per sententiam tantummodo quærendis.
- 28 Limita, si Officiales Fisci impediuntur artificiosis occultationibus solvere debitum.

ARTICULUS XXX.

De Negligentia, & Omisionibus Officialium Fisci.



Uamquam vulgare sit, quod Fiscus sit durus adversarius, id est difficilis vinci, tum propter privilegia ei competentia, maxime in modo agendi, tum propter ministrorum, & officialium anxiam efficaciam, ita ut Plinius Cecilius in Panegir. ad Trajanum Imperatorem, relatus, per Ryminaldum Consil. 15. num. 112. dixe-

rit, Fisci malam causam numquam esse, nisi sub bono Principe, idèdque Fiscum vinci gloria Principis sit, *Surd. decis. 138. num. 10. vers. fuit responsum, Simanca de Cathol. instit. tit. 9. num. 54., Scanarola de Visitatione Carceratorum lib. 2. S. 4. num. 23., & facit illud, Ovidii lib. 1. de Ponto. Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox, Quique dolet quoties cogitur esse ferox. Hinc est,*

est, quod *Modestinus in l. non puto ff. de Jure Fisci*, digno eloquio dixerit, *malè agere non puto, qui in dubio contra Fiscum facile responderit*, non ergo inutile, nec profanum erit querere, an Fisci Jura deteriora fiant, ac damnum pati possint ex negligentia Ministrorum, & officialium ejusdem.

2 Prima de quo ponitur regula, quod in quæsitis præjudicari non possit Fisco, quàm regulam comprobat *Jason. Consil. 108. num. 2.*, & post eum *Peregrin. de Jure Fisci lib. 6. tit. 3. nu. 15.*, undè si per negligentiam officialium aliquid depereat de bonis quæsitis ad Fiscum spectantibus, Fiscus ad instar minoris, & Ecclesiæ restituitur in integrum, *Odd. de restit. in integrum p. 1. q. 3. artic. 13., Peregrin. de Jure Fisci lib. 6. tit. 2. num. 10., Barbosa in l. 1. num. 15. C. de præscript.*, Idèdque *tex. in l. non puto ff. de Jure Fisci* intelligunt interpretes, non habere locum, quando Fiscus agit de damno vitando in jam quæsitis, quia tunc in dubio pro Fisco judicandum est, ut explicant *Cagnol. in l. factum suum §. in pœnalibus ff. de regul. Juris, Cumam, Jason, & Ripam l. 1. ff. sol. matr., Everard. topica Juris in loco à Fisco ad Ecclesiam num. 20., Co-waruvias variar. resol. lig. 1. c. 16. num. 7.*, contra Fiscum verò in dubio pronuntian-dum, dum agitur de jure quærendo, & tunc est locus dicti *l. non puto ff. de Jure Fisci*; idèd si sit dubium an Fiscus sit in aliquo casu privilegiatus contra Fiscum esse pronuntian-dum ex communi tenet, *Farinac. Fragment. Criminal. p. 1. littera F. V. Fiscus num. 155., & num. 189.*

3 Secunda autem ponitur regula, quod in aquirendis officiales negligentia sua possunt Fisco præjudicare, facit *tex. in l. servus C. de pædis l. fin. C. de aquirenda possess. l. qui autem in principio ff. quæ in fraudem credit*; sicuti negligentia officialis Principis, in iis, quæ curæ illius commissa sunt, Principi, ac Fisco suo præjudicat, *Peregrin. de Jure Fisci lib. 6. tit. 3. num. 15.*

4 Sicuti, & Clerici in aquirendis possunt Ecclesiæ præjudicare, *Abbas in c. tua nu. 9. de bis, quæ fiunt à Prælato, Bellet disquisit. Clerical. de Clerico debitore §. 5. nu. 10.*

5 Ex qua regula sequitur primo, quod in quærendis breviori tempore præscribitur contra Fiscum, quàm in quæsitis nam si

agatur de quæsitis, & incorporatis Fisco præscribitur spatio 40. annorum, pro ut præscribitur contra privatum ad *tex. in l. omnes, & l. cum notissimi C. de præscript. 30. ann., Peregrin. de Jure Fisci l. 6. tit. 8. n. 1.*, ubi *num. 2.*, notat fallentiam in rebus venditis, donatis, ac per ultimam voluntatem relictis Fisco, in quibus non præscribitur nisi spatio centum annorum, sicut, & in bonis Ecclesiæ, *l. fin. C. de Sacros Eccle.*, ubi *Barbosa num. 6.*, ampliatur ab Ecclesia ad Fiscum, & *Petrus Barbosa ad l. omnes 4. nu. 22., & 23. C. de præscript. 30. vel. 40.*, ubi *num. 28.* limitat in rebus destinatis ad publicos Usus, in quibus nec centum annorum cursus sufficit ad præscribendum, in præscribendis autem quæsitis requiruntur omnia regulariter requisita ad præscriptionem, scilicet bona fides, & titulus in rei detentore, & in Fisco scientia, quod res sit sua, & tamen negligat eam recuperare, alias non currit præscriptio. Neque in rebus mobilibus Fisco incorporatis præscribitur spatio trium annorum, ut notat idem *Peregrin. dicto tit. 8. n. 44.*

6 In quærendis verò mobilia triennio, stabilia verò decennio vel annorum 20. cursu præscribuntur juxta *S. res Fisci instit. de usucap.*, qua propter bona, quæ Fisco nondum incorporata sunt, debita tamen in pœnam, contra Fiscum præscribuntur etiàm sine titulo *l. in omnibus ff. de diversis, & tempor. Fisci*, ubi *glos. in Verbo tempora Vers. (alii dicunt, & bene) Oinotom. instit. de Usucapion. num. 43.*, ubi *num. 41.* distinguit si bona vacantia non sint denunciata Fisco, tunc à privato Usucapiuntur data in eo bona fide, & titulo, triennio, si res sit mobilis, decennio verò, si res sit immobilis, & sine titulo requiritur cursus viginti annorum, loquitur tamen de bonis Fisco debitis alio tit., quàm in pœnam, nam de bonis Fisco applicatis in pœnam an requiratur: titulus bonaque fides in aquirendorum Fisco præscriptione, mox dicam, si verò bona fuerint Fisco denunciata, Fiscus tamen neglexit, ea occupare per quadriennium, tunc per hoc quadriennium præscribuntur contra Fiscum, nisi essent delata ex illa causa, quod vestigal non esset solutum, nam tunc præscribuntur quinquennio, *Farinac. per tex. in l. 2. C. de vect. q. 25. nu. 163. vers. (si autem, & com.)*